



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...**

In Dominicas totius anni

**Schrötter, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1688**

XXIX. In Feriam. III. Pentecostes. Ego veni ut vitam habeant & abundantius habeant. Ioann. 10. Arg. Nuptiæ Spiritus S. constantes in fide.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56320)

revocando tibi assertorem tuum inter alias causas tam dira perpeffum, quatenus Spiritus S. nobis emeretur, idque pro scopo laborum suorum posuiffe, ut ille mentes nostras cœlestium amore vehementius inflammaret. Utere expendendo quanti hoc balsamū hæc theriaca constiterit, quanto cum labore ac dolore confecta, & vix fieri poterit, quin venenum utut venenatum fuerit, absudat.

*Num. 21.  
29.*

Filii Israel Deo rebelles in deserto serpentum læsi morsibus, conspecto æneo serpente, quem iussu Domini Moyses in stipite erexerat, à venenato

vulnere curabantur. Effigiem hanc typum fuisse Passionis Dominicæ, nemo est qui ambigat. Addit Adrianus primus Pontifex; Si ergo quispiam percussus fuerit à serpentibus peccatorum, Christum crucifixum intueatur, & habebit sanitatem.

*In Epist. ad  
Carol. M.  
Regem Gal.*

Ut autem id dignè præstemus, tu o divinissime Sponse, sine cuius numine, nihil est in homine, adjuva, tu nos somnolentos increpa, tu frigidis flammis adure congruis, tu stimulis urge efficacibus, ut cor nostrum habile, dignumque reddatur tua dilectione. Amen.



## CONCIO. XXIX.

### IN FERIAM III. PENTECOSTES.

Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant.

Ioan. 10.

## ARGUMENTUM.

Nuptiæ Spiritus S. constantes in fide.



Iquido satis superque ostensum fuisse vobis autumoprimum, alterumve officium, quose invicem conjugati prævenire

obstringuntur, quodque amator divinissimus Spiritus S. Ecclesiæ suæ sponsæ præstare dignatur. A. Restat tertium, nempe fidei, seu fidelitatis perpetuæ. Et hæc sibi mutuo spondent sponsus & sponsa, immò Deo teste, & hominibus voyent usque ad mortem.

*In*



Cant. 8.

In canticis canticorum invitatur dilectus dilectam ad diademata capessenda: *Veni de Libano soror mea sponsa: veni de Libano, veni coronaberis.* Ter eam evocat, & triplici videtur corona redimere velle, non alio fine arbitror, quam ut eadem officia sibi præstita remuneretur.

Matth. 10. v. 35.

Unde & Christus Dominus tamen etsi fateretur se venisse in mundum, ut arctissimas hominum necessitudines rescinderet; (*Veni separare hominem adversus patrem suum, & filium adversus matrem suam, & nurum adversus socrum suam,*) non tamen dixit uxorem adversus virum suum, aut vice versa. Ut nimirum indicaret fidem conjugalem, necessitudinemque indissolubilem esse debere, nec ulla ratione diuindam.

Quam verò sacrosanctè hanc fidem præstet, exhibeatque sponsæ suæ Ecclesiæ amator divinissimus Spiritus S. videamus.

## § I. PROTHASIS.

*Spiritus S. fidelis, & constans erga sponsam.*

Amor divinus constans

II, Nemo satis germanè, sincerèque amorem divinum, fidelitatemque explicuit, qui illi adamantinum vinculum non innexit. Utut profanus amor, utpote levi receptus fomite, ubi aliquantulum arsit illustrior, haud difficulter extinguatur; utut fides, perinde ac licium violetur, rumpaturve; divinus amor, fidelisque perpetua est, nec Numen ex sua parte ullum deleat, quem semel in suam gratiam recepit.

*Oseas Propheta vaticinans de hoc*

divino fœdere, cum Ecclesia ex gentibus assumpta, perquam graphicè circumstantias, officiaque omnia describit: Ait enim: *Et percutiam cum eis fœdus in die illa, cum bestia agri.* Hæc autem non intelligebatur alia, quam Gentilitas, quæ nunquam jugum Domini subiverat, sed in modum effera- rum belluarum vixerat. Ista hic in fidem recipienda perhibetur, atque ad Christianam mansuetudinem effigenda.

Osea 2. v. 18. 19.

Qualenam autem illud fœdus futurum indicat, cum subdit: *Et sponsabo te mihi in sempiternum,* ita nimirum, ut nunquam te sim repudiaturus, ut semper tecum futurus, ut spiritus meus semper in te permanens.

Ut autem planius officia sponsi evulget, pergit ultra: *Et sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, in misericordia & miserationibus, & sponsabo te mihi in fide.* In quibus verbis tria conjugum officia, seu vota complexus est. *Honorem* quando ait: *Sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio.* Siquidem per hanc iustitiam nihil aliud accipitur, quam justificatio, cujus gratia in filios Dei adoptamur, hæredesque regni empyrei inscribimur. *Amorem* autem, quando subnectit; *in misericordia, & miserationibus;* siquidem folius nostræ misertus inopiæ, ac perditionis, sic nos dilexit ut Filium suum unigenitum daret mundo. Unde Apostolus: *Non ex operibus iustitia, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis, & renovationis S. Spiritus, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum.* Fidelitatem deniq; manifesto adducit, quâdo cõcludit: *Et sponsabo te mihi in fide.*

Officia conjugum.

Ibid.

Tit. 3. v. 5.



Hæc enim non est aliud, quam fidelitas, ac constantia in promissis, quâ Deus assecurat, nuptias has fore perpetuas, nec ullo repudio revellendas. In sponsa autem est illa, qua illa se fidelem fore compromittit, nihilque præter ipsum amaturum, amore imprimis substantiali, ac appetiatiuo recipit. Hinc ter repetit hoc vocabulû: *sponsa*, quatenus certâ, plenam, perfectam, in æternum duraturam sanciat, ac significet desponsationem. Vera enim fides, amicitiaque semper æternat. Nec habendus amicus est, quisquis aut amare desit, aut fœdus rupit. Solas inimicitias esse mortales, amicitias æther ipse voluit esse immortales, ideoque illis non istis terminos posuit: *Sponsabo te mihi in sempiternum.*

III. Et licet nonnunquam peruersus quisque per suam malitiam se sequestrat à Deo; licet nonnunquam provincia, aut regnum quodpiam per hæresim assumptam libellum exaret repudiî ipsi Spiritus S. veritati præfractè contradicendo; ipse tamen ex sua parte nunquam deserit; nec unquam permittit, permittetque, ut tota Ecclesia adultera evadat. Etenim infallibile, ac irrefragabile est Christi testimonium: *Alium Paraclitum mittam vobis, ut maneat vobiscum in æternum Spiritum Veritatis.* Utiq; non titulo, aut nomine dumtaxat præsentiam suam testaturum, aut otiosum spectatorem futurum; sed illum, qui ampliaturus, clarificaturusque est nomen ipsius, qui illius sponsam tanquam Paraclitus consolaturus; qui illam docturus est omnem veritatem, qui annuntiaturus eventura, & ordinaturus omnia; verbo qui

cuncta invisibilia munera, gratiasque operaturus, idque non certo, ac limitato tempore, vel initio duntaxat Ecclesie; sed in omne ævum, à progenie in progeniem. Quemadmodum enim Ecclesia ipsius divina cooperatione semper opus habet; ita ipsius perpetua indiget mansione, & consequenter vi eisdem promissionis reget, implebitque illam suis muneribus, ut maneat cum illa in æternum.

IV. Id ipsum non tantum pollicitus est Sponsus divinus Ecclesie sponsæ suæ, sed se exoraturum apud Patrem recepit; dicens: *Ego rogabo Patrem & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum;* idque ea intentione ut suam propaget, divulgetque gloriam. *Ipsè me clarificabit, quia de meo accipiet.* Et numquid Pater æternus quicquam filio supplicanti ad dextram suam denegabit, qui semper pro sua reverentia exauditus est? Illiusne preces averfabitur, qui ad dexteram Dei sedens interpellat pro nobis? Vel numquid gloriæ Filii sui quicquam derogari sinet, qui incessanter gloriam illius promovere, vel per mortem atrocissimam adniscus est?

V. De hac ipsa assistentia per Isaiam Prophetam jam olim Dominus authenticam, absolutamque promissionem fecerat. Nam cum multis de adventu Messie, de erectione, ac propagatione Ecclesie egisset, concludit in hæc verba: *Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus qui in te est, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicit Dominus amodo, & usque in sempiternum.* In quibus

*Spiritus S. assistentiæ perpetua in Ecclesia.*

*Ioan. 14. v. 16.*

*Ioan. 16. v. 13.*

*Ioan. 14. v. 16.*

*Rom. 8. v. 34.*

*Isa. 59. v. 21.*



bus verbis non tantum jugem divini Pneumatis mansionem stipulatur Dominus, sed in super modum indicat quo id futurum, nempe quod ipse suo adjutorio Verbum Dei (non verò Scripturam duntaxat) ex ore ad os, à progenie in progeniem propagaturus sit. Siquidem citra auxilium gratiæ ipsius, nemo Verbum illius docere, discere, explanare, conservare polleret.

VI. Et ut certi, securique simus de tali assistentia, per S. Paulum Apostolum non tantum id ipsum comprobatur, sed & multò firmiorem, constantioremque futuram, quàm in antiquata lege enuntiat. Audiatur ille: *Nunc autem melius sortitus est ministerium, quanto & melioris testamenti mediator est, quod in melioribus re promissionibus sanctum est. Nam si illud prius culpa vacasset, non utique secundi loci inquireretur. Vituperans enim eos dicit: Ecce dies venient dicit Dominus, & consummabo super domum Israel, & super domum Iuda testamentum novum, non secundum testamentum, quod feci patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem illos de terra Egypti, quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus, q. d. Quantum distat ortus ab occidente, quantum cælum à terra tantumdem excedet novum testamentum vetus illud. & quemadmodum terra, cælumque exhauriri nequit, ita nec testamentum Christi unquam deficiet. Ipse enim appromisit, & Verbum Domini manet in æternum.*

Hac infallibili assistentia S. Spiritus Ecclesia nixa subsistit, hac durante tanquam columna veritatis aut tanquam Marpesia cautes inter decumanos flu-

ctus, ita ipsa inter hæresum machinamenta, persecutionesque in sua fide inconcussa subsistit: *Alium Paraclitum dabo vobis, &c.*

VII. In præsentem, quam agimus, festivitatem Spiritum S. consedissem supra vertices Apostolorum legimus: *Seditque supra singulos eorum.* Cur quæso nunc residet, qui initio creaturæ ferebatur supra aquas? Cur sedet, qui alias duntaxat descendere visus est? Cur sedet, qui alias duntaxat apparuit? Respondet Oecumenius: *Super singulos sedet, stabilitatem, ac permanentiam significans; dicitio enim sedit, idem significat, quod permansit.* Quando vulgo dicitur, bene is sedet, indicatur non levi, mollique brachio movendus; ita & Spiritus S. quando sedisse legitur, indicat se non recessurum. Ipse enim non solum perseverantiæ Author est, quæ donum est ejus; verum etiam per hanc sessionem nos in hac tam necessaria constantiæ, ac fidelitatis virtute instruere voluit. Unde cum Dominus Paraclitum hunc sponderet, in eodem tempore, illius perseverantiæ mentionem fecit: *Alium Paraclitum dabo vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* Semper enim gratia illius in ipsis permansura erat, & ipse nunquam ab Ecclesia sua recessurus, nunquam aliam sponsam adamaturus. Quemadmodum naturæ Conditor, primusque motor, & causa prima, perpetua sua providentia rebus omnibus, quæ natura constant, præsens adest, eosque ad fines suos generali concursu suo incessanter dirigat; haud secus divinum Pneuma, quod est gratiæ, felicitatisque Author, in supernaturali mundo, hoc est in Ecclesia si-

*Spiritus S. cur sedisse supra Apostolos dicitur.*

*Io. h. l.*

*Sessio perseverantiæ indicat.*

*mili*

*Heb. 8. v. 6. & seq.*

*Ter. 13. v. 31.*

*Isa. 40. v. 8.*



mili modo se gerit, piorum mentibus occulto, & invisibili illapso sese insinuans, eoque supernaturali virtute, ad supernaturalem finem, per pietatis, & iustitiæ opera adducens. *Alium Parasæletum dabo vobis.*

## § II. APODOSIS.

### *Fidelitas sponse inculcatur.*

VIII. Hic, hic sicubi alibi sponsus hic divinus inaudire concuperet illud Cantici Canticorum à dilecta modulifusum: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Ille mihi fidelis, verax, & constans, & ego illi; ille me ex sua parte nunquam deseret, nec ego unquam auxilio ipsius fulta ab amore illius avellat. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Ejusmodi sponsas ille adamat, ornat, magnificat, coronat.

*Spiritus S. cur cælos ornare dicitur.*

*Leb. 26. v. 13.*

IX. Sapientiæ non minus oraculum, quàm patientiæ speculum Jobus inter alia opera divinitatis à se celebrata illud eructat: *Spiritus Domini ornavit cælos.* Et quare non prata in quibustanta ubertas, tanta florum copia, tantulque decor? Isaac certè de Jacobo filio suo disserens, inque ipsius persona Christum præsignans, enuntiavit: *Ecce odor Filii mei, sicut odor agri pleni.* q. d. Tantopere fili mihi places, quantum campus longè latèque odorem, ubertatemque diffundens. Cur ergo Spiritus S. non ornat agros, sed cælos, non fœcundos istos, sed hos steriles? Cælum hoc anima iusti est, cælum hoc Ecclesia Dei vivi est. Hanc intuitur Angelus Apocalypiticus de cælo descen-

dentem, à Deo paratam, & tanquam sponsam ornatam viro suo, Ipsa enim verè est sancta, non tantum in doctrina & capite, sed & in membris, ac moribus. Ipsa descendit de cælo, utpote à Deo instituta, Descendit inquam ex sententia D. Augustini ad imaginem cæli, quasi cælum esset, constructa; & ad similitudinem ipsius efformata. Ager vero est corpus nostrum, quod præscindi, arari, occaridebet, ut fructus ferat; vel etiam anima, quæ flores bonorum conceptuum, aut etiam virtutum gignit. Cur Spiritus S. cælos illos ornat, agros despiciat. Nempe agri, pratque modo florent, modò arent, ubi triticum, lilia, rosasque demiraberis brevi calamos leves, sentes, aspidesque conspicias. In vere, repente cælo, videntur tempe nostra, instante hyeme squallent. At æther ut fulsit primura semper emicat, nec per brumam, nec per æstatem augetur luce. Istud igitur ornat, non illa, Pneuma sacratissimum quia magis sibi complacet in duris, duraturisque, quàm in animabus, ad orationem quidem promis, lachrymisque calentibus, sed in ardore non diu permanens. Quid Saulo sævius? Spirans nihilominus minarum, ac cædis in discipulos, ad Apostolatam vocatur. Num deerant in Ecclesia quibus pietas ad tantum suffragaretur fastigium? Num deerant in illis sanctissimis primitiis quibus erat cor unum, & anima una, pietate mites, humilitate demissi, contemplatione sublimes? Non utique. Cur ergo relictis ovibus lupus eligitur. Autumo, Paulus truculentus erat, sed cõstans subinde in amore futurus.

*Apoc. 21. v. 3*

*S. Aug. in in proem. de doct. Christ.*

*S. Pauli cor. 1. v. 13.*

Excla-



Rom. 8. v.  
35. 36.

Exclamaturus erat; *Quis nos separabit à charitate Christi? An tribulatio? An angustia? An fames? An nuditas? An periculum? An persecutio? An gladius? Certus sum quia neque mors, neque vita neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Hæc planè constantia Spiritum S. pellexit, quatenus Paulo illaberetur in via. Rejecta sunt prata virentia, & cœlum electum est, sterile illud quidem, sed ornamentum tenax. Plerique orabant, & Paulus sæviebat. Ita est, sed illi non erant staturi in virore cum Boreas perflasset, hic exultaturus erat in ipsis vinculis.

Rursus agri virefcunt, & prata florent, sed non sine laboriosa cultura. Arari, perfodi, feri, rigari, stercoreari, nunquam non excoli debent. Cœlum verò citra culturæ adminiculum, flores lucis, quos semel protulit, nunquam non profert, Plerique alii agrorum in morem vernant, sed si Numen nectareis non irriget lachrymulis, si non quotidie tepore consolationum recreet, illico orare desinunt, aras deserunt, ad alia captanda solatia se convertunt. Hi plantæ sunt autumnales, & horti speciosi quidem, si ver arrideat, sed aridi si bruma desolationum desæviat. Alii autem cum Paulo, quando aporiantur, non deficiunt, factique in agonia prolixius cum Christo orant. His non abfimile cœlum est, unde idem splend semper emanat; & hos cœ-

los spiritus Domini exornat, & adamat.

X. Cœli instar visa est illa mulier, quam suspexit S. Joannes stellis coronatam, Phæbo vestitam, Cynthiamque pedibus prementem. Cœli instar & illa Regina quæ adsit à dextris sponsi in vestitu deaurato, circumdata varietate. Non tamen hæc coronæ fulgura, gemmarumque lumina attonitum reddidere. Noverat siquidem coronas liquefieri, vestes colorem deperdere facili posse negotio. Noverat gemmas ipsas, quamvis natura sua durissimas nescio quo pacto in adulterinos degenerare lapides, frangi facillimos. Quid ergo obstupuit? Indicavit quando subtextuit: *Omnia gloria Filia Regis ab intus in fimbriis aureis.* Avertit illico oculos Psaltes ab exteriori ornatu, & ad interioriorem mentem, ad fimbrias oculos deflexit. Quid istud? Explicat S. Gregorius: *Fimbriae finales partes vestimenti sunt, quæ idcirco in sponsæ Christi dedecore laudantur, quia nulla est virtutum gloria, si lucere ante vitæ consummationem desistat.* Levidensa rustica vilis est quodvis paludamentum regium, nisi aurum atque ornamenta ostendet in fimbriis. Ardores illi qui relucet in vultu exteriori, in actionibus, aut virtutibus aliis non soles sed favillæ, sed scintillæ sunt; quæ non tantum imbris extinguuntur adversitatum, sed in tenebras ipsas mutantur, si in fimbriis, id est extremitatibus non compareant. *Nulla est virtutum gloria, si lucere desistat.* Ideoque à sponso divinissimo non respiciuntur, nec perficiuntur, nec coronantur.

Constantia  
suspicitur  
à sponso.

Ibid.

S. Greg. I. 6.  
cap. in lib.  
Reg. 1. 25.



Asbestis  
virtus.

XI. Magnus naturæ secretioris indagator Plinius tantis verborum phaleris Asbestis lapidis constantiam famæ, & admirationi proposuit, quod succensus igne semel imposterum nullo possit extingui Oceano. Unde Poeta cecinit:

*Qui semel accensus susceptos detinet ignes  
Extinguique nequit.*

Perseverantia.

Huic lapidi perfimiles esse oportet, quotquot tanquam lapidi vivi superædificantur in cœlesti Jerusalem, posteaquam semel ignem conceperunt, ut nunquam extinguantur; & quocumque vento insurgente, quacumque persecutione inualecente ardere pergant, cumque Apostolo eructent: *Quis nos separabit à charitate Christi tribulatio? an angustia?* Pone gladios, funde maria, explica ignes & mille discrimina rerum, per omnia perget amor, citiusque mallet emori, quam non ardere.

Inconstantia noxia.

XII Etenim si à constantia, fidelitateque sua, sponsa recesserit, si ignem nutrire deserit, jam non est apta amplexibus cœlestis Sponsi, immò jam non est apta regno Dei. *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno Dei.* Usque adeo inconstantes invisi sunt spiritui divino, ut non solum, qui ab aratro resilit, laboris tædio repudietur; sed is quoque qui licet stivam non ponat, oculos tamen retorquet, ut quæ sunt retrò aspiciat. Et sanè Lothi uxor Sodomas non reperit, nec recessit à via, sed ad montem festinabat; verùm quia dum

Lothi uxor.

pergeret gressu, oculis substitit, obruit in statuam. Ut discat unusquisque non solum relapsu, sed vel inconstantia umbram, apud Deum capitalem esse, & Spiritui S. exosam. Hujus sponsa quæcunque individua esse gestat, vel umbram infidelitatis, inconstantiaque expalleat, & fidelis subsistat.

XIII. Constantia Sfortia Ducifsa suum candorem, fidelitatemque inter conjugales curas testatura Cygnum aquis innatantem, & desuper tres versperiliones suo volatu quasi tenebras offundere minitantes pro simbolo assumpsit, cum inscriptione: *Candor illusus.*

Typus.

Sinceritas.

Anna verò Regina Ungariæ & Bohemæ Ferdinandi I. Imperatoris uxor manus connexas cum rosa pro simbolo amoris habuit, adjecto lemmate: *Sic in perpetuum.* q. d. Manum quam tibi consorti Domino meo injicio, dum vivam, nunquam retraham. *Sic in perpetuum.* Amorem, fidelitatemque, quam nunc juro, Deo adnitente dum vita superstes fuerit conservabo. *Sic in perpetuum.*

Idem.

Hoc simbolo, & re ipsa excellere debet, quisquis Spiritui S. jungitur. *Sic in perpetuum.* Manum quam semel ad aratrum misit nunquam retrahat; candorem quo semel per gratiam effulgere cœpit, nunquam in fuliginem commutet, sitque fidelis, ac constans usque ad mortem: *Sic in perpetuum.* Quisquis sincerè amat, is una dilectum fortissimè amat, nec nominandum est amoris jugum, nisi jure fuerit.

XIV. At cheu, quoties Prothei, quoties perfidi invenimur, quoties respi-

ci.



imus, & ex cygnis in corvos refingimur! Utinam, utinam sacratissimus sponsus noster opprobrium illud ad nos detorquere nequiret, quo olim ingratam, adulteramque feruit synagogam apud Jeremiam Vatem: *A saculo confregisti iugum meum, rupisti vincula mea; & dixisti non serviam. In omni enim colle sublimi, & sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix. Toties enim rumpimus fœdus, toties adulteri evadimus, quoties per peccati libidinem Sathanæ corrivali adhæremus. Omne peccatum fornicatio quæpiam est, qua impius in unum quadantenus corpus cum diabolo coalescit, atque à Deo divortium facit.*

Hac in parte si forsitan sua quempiam redarguat conscientia, audiat eundem divinum sponsum, tamen repudiatum etiamnum ad suos amplexus sollicitantem: *Vulgo dicitur: si dimiserit vir uxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alterum; numquid revertetur ad eam ultra? Numquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me dicit Dominus, & ego suscipiam te. Audiat hæc inquam, &*

nisi prorsus perfictæ frontis, atque animi sit, amatoris hæc vocibus provocata ab adultero se avellat, & primo sponso suo Spiritui S. contrita, ac supplex accidat.

XV. Feriæ olim solennes habebantur apud Athenienses, quibus amicis convenire sanctum fuerat, atque mutuam vel redintegrare, vel in novam conjurare amicitiam. Habuisse hoc, vel sicut alia pleraque comminisci poterat superstitiosa gentilitas, sicque imaginaria lætari felicitate. Nobis etiam aliæ feriæ indictæ sunt, ad Numen reconciliandum tum istæ imprimis amatoris sunt, & sponso amorum dedicatæ. Emulemur in hisce non tam Athenienses, quam sanctissimos quosque, & coronidem illis perjuratam fidelitatem, constantiamque imponamus. Aderit procul dubio votis nostris idem divinus amator, si modo fortiter exturbaverimus malignum. Aderit si modo sincere eidem adhærere proposuerimus. Aderit si debitis amoris officiis eidem respondere contenderimus. Fiat id Numine tuo ô sponse divinis me. Amen.

*Tympius.*

